



**CENTRE FOR RESEARCH COLLECTIONS
EDINBURGH UNIVERSITY LIBRARY
GEORGE SQUARE
EDINBURGH
EH8 9LJ**

TEL: +44 (0)131 650 8379

FAX: +44 (0)131 650 2922

BOOK-SCANNED 2006

SHELF MARK: [Att.85.7.11/12](#)
TITLE: Dissertatio medica inauguralis, de febre flava
Hispaniae : quam, annuente summo numine, 1817
AUTHOR: [Shortt, John](#)

N.B. This is Pamphlet 12 only.
Scanned as single pages.
Blank pages have been omitted.
Due to variations in the density of the text some words are illegible.
The binding frequently obscures text in the guttering.
THIS IS THE BEST COPY AVAILABLE.

The University of Edinburgh Library



This PDF is supplied under a Creative Commons CCBY License:
you may share and adapt for any purpose as long as attribution is given to the University of
Edinburgh. Further information is available at <http://creativecommons.org/licenses/by/4.0/>

Please address all enquiries to Centre for Research Collections.

The Library wishes to be informed of work based on this Pdf copy, and would welcome a
copy of any publication that makes use of it.

The University of Edinburgh is a charitable body, registered in Scotland, with registration number SC005336

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE FLAVA HISPANIAE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES SHORTT,
Hibernus,
COLL. REG. CHIRURG. LONDINENSIS;
EXERCITUI, ET NUPER PRAEFECTO GIBALTARIENSI CHIRURGUS.

“ Ea neque addicta alterutri opinioni sunt; neque ab utraque nimium ab-
“ horrentia; media quoddammodo inter diversas sententias: quod in
“ plurimis contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum
“ scrutantibus.”

CELS. DE MED. PRAEF. AD LIB. I.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXVII.

THOMAE SPUNNER,

ARMIGERO,

DE GLASSHOUSE IN COMITATU REGIS,

PROPTER AMICITIAM INSIGNEM,

ATQUE BENEFICIENTIAS INNUMERAS,

QUIBUS,

PER MULTOS ANNOS,

SE SUOSQUE

INDEFESSE PROSECUTUS EST;

HOC OPUSCULUM,

GRATI DEVINCTIQUE ANIMI

MONUMENTUM,

D. D. D.

JOANNES SHORTT.

THOMAE MILLS, M.D.

COLLEGII MEDICORUM REGIS ET REGINAE

DUBLINII,

A U C T O R.

*Tandem occasio mihi praebetur palam proferendi
quantum tibi debeo; in rebus medicis, praeceptori
clarissimo; in privatis, amico praestantissimo.*

*Ut diu vivas, artem illam, in quâ ad tam altum
gradum, ingenium, dotes, solertia et humanitas te in-
vexerunt, adornare, imo pectore voveo.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE FLAVA HISPANIAE.

PROOEMIUM.

OMISSIS omnibus disputationibus de nomine quod huic morbo imponi debeat, eo, quo optime cognitus est in iis regionibus, in quibus maxime grassatur, uti licebit.

Hunc morbum, qui tam frequenter epidemicus in insulis Indiae Occidentalis, et in continente Americae saevit, saepe, et praecipue nuper, sub eadem forma, in parte Hispaniae Australi prodiisse, quis ignorat?

In dissertatione sequente, de iis epidemicis qui annis 1810, 1813 et 1814, a me ipso visi sunt, prioribus duobus annis Gadibus, altero Calpe, (quae hodie Gibraltaria voca-

tur,) quaedam dicere proposui: de febre quoque, quae anno 1811, extra portas Gadium invaluit, et in qua, fere omnes aegrotantes, ad numerum octoginta quatuor, curae meae commissi fuerunt, quaedam proferam: nam haec febris, quamvis ultra situm quo primum orta est, non progrediebatur, et morbus plerumque indolis mitioris fuit, tamen exempla ejus periculosa et imprimis lethalia, eadem symptomata ac aliae febres quae epidemicae fiebant, prodiderunt: fas erit igitur hanc ejusdem naturae ac illas censere.

HISTORIA.

Febris Flava ante finem mensis Julii, in Hispania nunquam prodit, et ineunte Decembre, semper cedit. Nonnulla morbi exempla subinde, circa haec tempora prodeant, sed ante mediam partem Augusti, hanc febrem nunquam epidemicam visam, et hanc formam post mediam Novembris, nunquam retinere, affirmare liceat.

Tres modos diversos, quibus hic morbus incipere solet, pro virili describam, hoc tamen

praemisso, rationem, qua invasit, tam saepe ex his conjunctis constare, ut ad quam descriptionem quosdam casus oporteret referre, non facile esset statuere.

Primo. In primo ex his modis, impetu leni, (aliquando lenissimo,) quem languor, sensus molestiae per totum corpus, dolor capitis obtusus, levis nausea, molestia circa praecordia, vultus pallidus et oculi hebetes praecedunt, febris adoritur. Impetum, omnia haec signa, quin et dolor dorsi, sensus frigoris, quasi horripilationis deorsum per spinam, dolor femorum et genuum, et in omnibus casibus, dolor et sensus spasmodicus in suris, (hoc ultimo per plurimos dies plerumque persistente,) comitantur.

Huic stadio, post unam vel alteram horam, calor et siccitas cutis, dolor constringens frontis et temporum accedunt, lingua est rubra et sicca, aliquando albida et humida, pulsus multum acceleratus, et signa solita febris plus minusve gravia, ex horis triginta sex ad quadraginta octo, vel sexaginta perstant. Aliquando morbus sine ulla evacuatione critica, ibi paulatim cedit.

Casus qui hoc modo sponte desinunt, ra-

tione habita, me iudice, paucissima sunt; sed medico non arcesso, subinde prodierunt. Multo plures tamen, cathartico valido dato, statim a primo impetu, vel saltem die primo, et regimine antiphlogistico stricte adhibito, sic desinunt.

Secundo. In modo secundo, febris aggreditur rigore vehementissimo, viribus valde et subito prostratis. Hoc stadium brevissimum est, et stadium calidum, cui adest dolor constringens vehementissimus capitis, praesertim frontis, temporum et orbitalium oculorum, et interdum ad radicem nasi tendens, gravissimum accedit. Species oculorum tetrica et ebriosa, aliquando lachrymatio, et facies maxime florida interdum adsunt. Epistaxis, dolor in regione ventriculi, praesertim sub pressu, vomitus biliosus, sitis vehemens, pulsus celerrimus, plenus et firmus, lingua sicca et aspera, cum siccitate oris et faucium, quoque superveniunt. Aliquando sapor amarus est in ore, et linguae est linea subflava in centro, dolor abdominis plerumque urget, cui alvus adstricta, et aliquando diarrhoea biliosa accedit.

Haec symptomata, quod ad vehementiam

pertinet, maxime variant, et ex spatio horarum triginta sex ad quadraginta octo, et saepe etiam ad sexaginta, quo tempore levamen fit insigne, ingravescunt. In omnibus fere his exemplis, huic intervallo, symptomata postea memoranda accedunt. In nonnullis tamen, ut in plerisque eorum de quibus antea dixi, nulla alia symptomata febrilia prodeunt, et rebus se faustè habentibus, aeger ad salutem restitutus est.

Tertio. Modus tertius nunc describendus est. Aeger per aliquot dies, aliquando etiam per hebdomadam vel amplius, sensum molestiae percipit, quem, malum adeo leve comitatur, ut hoc ex frigore forte admoto, vel solis fervore inter ambulandum vel equitandum, exercitatione, potu vel cibo nonnihil liberius sumptis, oriri, et sponte cessurum, sibi et aliis persuadeat. In quibusdam ex his exemplis, impetum vix aut ne vix quidem percipi potuisse, apparet.

Plurimi aegri, quos morbus hoc modo aggressus erat, mihi sese obtulerunt, et illum ad initium neglectum fere semper lethalem fieri; contrà, curâ tempestive adhibitâ, tam facile quam in modis prioribus saluti cedere, expe-

rientiâ didici. Ob hunc accessum adeo insidiosum et fallacem, tamen, morbus in initio facillime negligi solebat, ut in plerisque casibus nostris infaustis accidit.

Attentione sedula ad prima symptomata adhibita, haec esse, hebetudo, inertia, languor, sensus fatigationis et lassitudinis, rigores leves et fugaces, depressio animi, metus, et hic praecipue, ne febris aggrediatur, dolores capitis fugaces, cutis sicca, extremitates frigidae, anorexia, et nausea facile orta, pulsus parvus et debilis, parum aut nihil acceleratus, lingua humida, frigida et plerumque subalbida, alvus tarda, et tunica adnata oculi aliquando subflava, reperta sunt.

Non negandum est, etsi hujusmodi symptomata adfuere, morbum nonnunquam sponte decessisse, et aliis temporibus, cathartico tempestive adhibito, cito finitum esse. Tamen, quia exempla hujusmodi, nisi post epidemicum aliquamdiu perstantem non saepe videntur, et quia exempla fausta in hoc stadio, vel sponte, vel remediis adhibitis, pauca extiterunt, et quia nullum discrimen inter signa incipientia horum casuum, et illorum qui in febrem desinentes infausti fuerunt, omnes hos

ejusdem esse naturae ut crederem, adductus sum.

Per stadium primum vix aliquid amplius dici potest; symptomata plus minusve saeviunt; vomitus biliosus et rigores leves, vel proclivitas ad coma in ejus progressu, aliquando (quamvis raro,) accedunt.

Intervallum quod talem impetum sequitur, vultu livido, plumbeo vel subflavo, symptomatibus typhoideis incipientibus, ventriculo turbato, et saepe anxietate, inquietudine, vel animo depresso notatur.

De alio hujus morbi impetu, non solum ut in India Occidentali et America, sed quoque in Hispania occurrit, nimirum, de impetu maxime subito et vehemente, morbo intra horas paucissimas in mortem desinente, mentio ab auctoribus facta est. Idem in Peste, et aliquando in Typho graviore accidisse notatur: cum autem, nihil hujusmodi unquam in hac febre mihi videre contigit, de hoc non amplius dicam.

Res est in historia morbi, de qua bene constat, et quam tam saepe adesse reperi, ut eam semper existere, et hanc febrem peculiarem imprimis designare, credere inductus sum:

scilicet, post spatium triginta sex horarum ad quadraginta octo, et etiam usque ad sexaginta, a primo impetu, omnia symptomata multo leniora fieri. Haec mutatio a quibusdam remissio, ab aliis levamen nuncupata est, aliaque nomina quoque ei imposita sunt. Nomen *Intervallum* anteponerem. Nunc apyrexia plena, nunc remissio, vel levamen tantum observatur: nunc febris non iterum supervenit; dum saepe signa maxime mortifera accedunt.

Quando, per hoc intervallum, pulsus nihil est acceleratus, debilitas non major est quam ex impetu et duratione febris antecedentis, vel ex remediis adhibitis expectaremus. Cum aeger hilaris est, liber ex anxietate vel metu, cum functiones mentis integrae sunt et liberae, respiratio facilis, vultus clarus, oculi naturales, lingua nitida, cum cibi appetitus non nihil restitutus est, nihil sitis adest, nihil nauseae vel vomitus, et cum somnus quietus et naturalis accedit, aegrum statim ad sanitatem esse restituendum, certo praedicare liceat.

Dum, contra, adsunt desperatio, metus vel anxietas, virium ingens prostratio, nausea vel

vel vomitus, faciei vel oculorum suffusio, vultus tetricus, oculi micantes, dolor capitis, vel denique symptomata febrilia perstant, morbum rediturum esse, certiores facti sumus.

Quo vehementiora, febrilia et alia symptomata perstant, eo certiores simus de reditu, et eo pejorem hunc ferè metuendum est; sed ventriculi turba, utpote formam violentissimam morbi futuri ostendens, prae omnibus aliis symptomatibus infausta est: proximus huic, aspectus flavidus; et si haec simul appareant, vel cum anxietate, comate, vel delirio conjuncta, vix ulla spes sanationis restat.

Per hoc intervallum, in plerisque accessio-nibus primi, et in multis secundi modi, (jam depicti,) aeger revera convalescere videtur; sed in quibusdam primi, in multis secundi, et in plerisque tertii, aegro ipsi, adstantibus, et medicis non satis morbi peritis, tranquillitas fugax et insidiosa, cui symptomata longe graviora antecedentibus accedunt, existit.

Hic, post spatium ex horis duodecim ad viginti quatuor varians, flavedo, primum in temporibus, adnatis oculorum et lateribus colli, et dehinc per totum corpus paulatim serpens, observatur; haec flavedo primo est levissima,

et nisi summâ attentione, non detegenda, et colorem pallidum stramenti fusco tinctum, exhibet. Pulsus fit exilis, celerrimus et debilis, sed aliquando plenus, satis firmus et regularis, perstat. Lingua interdum pallida, humida, frigida et tremula, nonnunquam pelliculâ maxime viscidâ et subflavâ obducitur: aliquando sicca et aspera fit. Os saepe saliva tenace humectatur; alias, arida et rubra existit. Labra et gingivae interdum sunt siccae cum sordibus nigris adhaerentibus, saepe sunt humidae et foedae. Spiritus saepe foetidus et calidus, sed nonnunquam frigidus. Cutis saepe arida, et sensum acrem et pungentem tactui praebet; alias est frigida, humida et tenax. Nausea aggreditur, cui cito vomitus, primo ingestorum, et postea conatu ad devorandum facto, et saepe hoc non instituto, accedit. Dolor ad laryngem relatus, cum raucedine vel voce aliter mutata, hoc tempore, haud raro evenit. Urina, quae per paucos dies ad initium, a statu suo solito in synocho, quod ad qualitates et quantitatem, non multum, (si aliquid,) diversa fuit, nunc vel copiosissima, pallida et pellucida; vel parciter secreta est, turbida et ruberrima; nonnun-

quam prorsus supprimitur, sine pube tumefacta, vel etiam desiderio vel cura eam reddendi. Hoc signum in exemplis mortiferis saepe adesse observatur. Epistaxis, in hoc stadio nonnunquam, sed saepius vel serius vel ocyus, invadit. Nonnunquam pervigilium, non solum hoc tempore, sed etiam per totum morbi decursum, adest. Conditio coma referens saepe aggreditur, dum alias, somnus nihil praeter naturam occurrit. Alvus aut torpidissima est, vel, nisi summa attentio huic adhibeatur, fusa fiat. Delirium aliquando (sed raro tam cito,) aggreditur. Convulsio quoque hoc tempore nonnunquam invadit.

Huic stadio per horas viginti quatuor vel quadraginta octo perstanti, saepe omnium symptomatum remissio, et sanatio paulatim accedit. Rebus ita se habentibus, levis eruptio herpetica circa os, saepissime prodit. Eruptio quoque circa os, in exemplis morticidentibus saepe visa est; sed inter hanc et illam, magnum fuit discrimen, posterior enim ex pustulis parvis fuscis, vel nigris, sanguinem saepe continentibus, constitit.

Aliud signum frequentissimum, praesertim anno 1814, cum vix ullus ex aegris quos vidi

sine hoc convaluit, fuit pulsus abnormis et tardissimus, saepe ad ictus quadraginta, vel etiam triginta sex, minuto horae redactus; in multis, pulsus intermisit, nonnunquam modo abnormi, aliquando intermissio prorsus aequalis fuit. In aliis post ictum octavum, in aliis post quartum, in aliis post decimum quartum vel vicesimum, et in uno, modo singulari, post quartum et post decimum vicissim, pulsus intermittens cernebatur; et in nullo exemplo, quo pulsus tardissimus, abnormis vel intermittens hoc tempore adfuit, spes de aegris mihi demandatis suscepta, unquam me fefellit.

Saepe, eheu! pro hac mutatione desideranda, omnia signa infausta ingravescent: vomitio perstat, et fere perpetua et molestissima fit; singultus, primo lenis, et post intervalla longa recurrens, sed cito crescit, et pariter fit perpetuus ac vomitus, cum hoc saepe conjunctus; materia per vomitum ejecta, primum biliosa, postea ex muco cum ingestis misto constans, in stadiis posterioribus, in fluidum fuscum filamenta continens, et ablutionem oris cum vino rubro referens convertitur, vel caffeeae aut caffeeae faecibus simile,

vel etiam nigrum, tenue et turbidum, atramenti instar. Saepe, copia horum fluidorum effusorum, ingesta longe superabat; saepe dejectio fit profusa, nigra et foetidissima, nunc invita, nunc quasi esset materia nigra picis liquidae instar; urina nunc partim, nunc ex toto supprimitur; ingens est anxietas, molestia, inquietudo et jactatio capitis, brachiorum et crurum, cum omnibus signis summae maestitiae: omnia haec, sine mente aliena saepe apparent; sed delirium, aliquando ferox, nonnunquam mite et mussitans, vel coma, vel convulsiones saepe hoc tempore aggređiuntur; sanguinis profluvia ab ore, naribus et auribus non rara sunt, effusio sanguinis ex urethra, et dejectiones sanguinolentae interdum adoriuntur, sanguis etiam ex partibus quibus vesicatoria admota fuerant, distillavit; facies fit purpurea, subrubra, vel livida, vel aspectum horridum maculatum vel radiatum, induit; oculi hebetes et suffusi sunt, vel splendentes et feroces fiunt, nunc sunt sicci, nunc lachrymis madentes; lingua est humida et sanguinolenta, aliquando dura et nigra, nonnunquam humida, pallida, frigida, tenax et tremula; cutis fit fusca,

frigida, sicca, et aspera; pulsus raro sentiri potest, debilis est et pervagus, aliquando tamen, fere instante morte, hunc plenum, firmum et aequalem inveni; petechiae et vibices raro prodeunt; subsultus tendinum quoque, vix unquam accedit.

Corpus nunc odorem cadaverosum emittit; nigrae materiae vomitus, dejectiones invitae et singultus perstant; vultus squalor et depressio accedunt; tandem sensus ex toto perit, et mors placide invadit, vel (quod saepe fit,) convulsiones scenam claudunt.

Non omnia haec symptomata in singulis casibus infauste desinentibus, multo minus in omnibus exemplis febris redeuntis, semet ostendere expectandum est; nam multa eorum signa solita febris cujusvis provectae tantum, nonnulla unum vel alterum signorum infaustorum exhibent; dum plurimi aegri post quaedam ex his conjuncta convaluerunt: et contra, aeger saepe, quando nulla symptomata talem eventum praemonebant, morti succubuit.

Febris in nonnullis exemplis, usque ad dies duodecim vel tredecim, symptomatis paulatim abeuntibus et summa debilitate accedente,

perstitit. In omnibus hujusmodi casibus, eventus faustus accessit. Casuum infaustorum quibus medicinam adhibui, maxime diuturnus ad diem undecimum permansit, et aeger debilitati tantum occumbere visus est.

In mitioribus morbi exemplis, aegri circa diem tertium; in gravioribus circa septimum vel nonum, vulgo, convaluerunt. Febris autem accessio, saepe valde obscura vel parum accurate observata, (ex causis jam recensitis,) nos de morbi tempore quo hoc evenit, aut quo mors obrepit, valde incertos reddit.

Formâ tabulae, tempora et rationem quibus mors per singulas Epidemicas, mihi medicinam facienti, occurrit, tradidi.

Febre Epidemica, Gadibus anno 1810.	Febre (non Epidemica,) Gadibus anno 1811.	Febre Epidemica, Gadibus anno 1815.	Febre Epidemica, Gibraltaria, anno 1814.	Summa.	Morbus in mortem desivit.
..	..	1	..	1	die 5 ^{to} .
..	1	4	1	6	4 ^{to} .
..	1	4	1	6	5 ^{to} .
..	..	6	9	15	6 ^{to} .
..	1	4	2	7	7 ^{mo} .
..	2	7	2	11	8 ^{vo} .
1	..	5	1	5	9 ^{no} .
..	1	1	10 ^{mo} .
..	1	1	11 ^{mo} .
Ex Aegrotantibus 14. 1 Mortuus.	Ex 84; 6.	Ex 203; 29.	Ex 115; 17.	Ex 414; 55. Octava pars juxta.	

Epidemicæ annorum diversorum, quod ad mortuorum numerum, varios habuere exitus; sic, annis 1800 et 1804, longe plures illorum quos morbus adortus est, obiisse, et in nonnullis urbibus anno 1800, amplius quam partem dimidiam incolarum, morbo sublatam fuisse, repertum fuit.

Anno 1810, mors paulo plus quam partem quintam aegrorum abripuit. In Epidemicis annorum posteriorum, numerus casuum lethaliū, quamvis magnus, minor illo anni 1810, extitit.

Per Epidemicas annorum 1810 et 1813, nulli alii morbi acuti prodierunt; sed anno 1814, perpauca exempla Pneumoniæ, Rheumatismi, Dysentericiæ, et Februm Intermittentium quæ non Epidemicæ fiebant, visa sunt.

Fœminæ ac viri, morbo non tam proclives apparuerunt, et morbo implicite, non adeo graviter laborarunt. Pueri morbo maxime fuerunt opportuni, sed ex plurimis quos vidi, nullus mortuus est; revera, symptomata nunquam gravia extiterunt. Dicitur, et me iudice, accurate, fœminas uterum gerentes huic morbo præ aliis obnoxias esse.

Quinque, hydrargyrum ad alios sanandos sumentes, hoc morbo implicitos, videre mihi contigit. Ex his, quatuor tunc ptyalismo laborabant, et omnes convaluerunt, quamvis in uno exemplo, symptomata gravissima, imprimis singultus et vomitus, utrisque per plurimos dies fere perpetuo perstantibus, adfuerunt. Quintum, qui plurimum hydrargyri, causa ulceris syphilitici sumpserat, sed cui os minime fuit affectum, quamvis ulcus speciem sanam induere inceperat, morbus sua forma gravissima adortus est, et mortem intulit.

Juvenes, robustos et plenos, et illos imprimis ex coelis frigidioribus appulsos, accessionibus gravioribus quam alios proclives esse, et morbum his magis mortiferum esse, fertur. Dum hoc concedo, indigenas et incolas morbum graviolem nequaquam effugere fatendum est; constitutionem corporis sanam in casibus morbi diuturnis plurimum valere, et ebriosos et epulis deditos, omnium aetatum et omnium temperamentorum, morbo esse procliviores, et eo forma sua gravissima correptos esse, eique fere semper occubuisse, monendum est.

Illos milites qui pistrionum, laniorum, opificum, servorum et fabrorum muneribus func-

ti sunt, majore numero, morboque sua forma graviore quam alios, affectos esse, repertum fuit. Hoc, duas causas verisimile agnoscit: Primò, plus pecuniae, et plures occasiones liquores fortes bibendi, his quam aliis suppetebant, et inebrietatem causam frequentissimam, et praedisponentem certissimam, hujus ac aliarum febrium existere, notum est; et secundò, his, malum quo laborarunt primo suo impetu, quam aliis militibus quos chirurgi legionum assidue viderunt, celandi magis fuit facultas.

Hic morbus rarissimè recidivus est, et si quando redit, ab intemperantia, vel aegri incuria induci videtur. In nonnullis tamen exemplis, ea huic causae non potuissent tribui.

Morbus quoque raro iterum aggreditur, et hoc unquam accidere, a plurimis scriptoribus praeclaris et medicis prorsus negatum est. Hoc inter omnes medicos Hispanicos, et etiam inter vulgus, convenit. Nonnulla exempla morbi iterum aggredientis certissima anno 1814, inter illos quos anno praeunte curaveram, mihi occurrerunt.

Ullas hujus morbi sequelas existere haud dicere possum, et post sanitatem stabilitam,

aeger vires et valetudinem pristinam, citissime et omnino recuperat.

DE CADAVERE SECTO.

Quae, cadavere inciso, videntur, maxime sunt varia, et conditiones viscerum morbidae in corporibus diversis, etiam signis similibus valentibus, magnopere variant.

Cerebrum prorsus sanum et naturale, ut videretur, saepissime reperitur. Interdum dura et pia mater densatae, vasa sanguine plenissima, et lympa coagulabilis in superficiem ejecta, reperta sunt. Aliquando fluidum ventriculorum augetur, et spissitudinem gelatinae exhibet, interdum serum inter meninges, et ad basin cerebri effunditur, aliquando parvae extravasationes sanguinolentae, et in quibusdam casibus, parvae maculae gangraenosae in superficie cerebri, detectae sunt.

Pulmones nonnunquam inflammati, etiam nullis signis pneumonicis accedentibus inveniuntur.

Hepar saepe mutatum, et in modis valde diversis deprehenditur : aliquando est rubrum

et multum sanguinis continet : aliquando ampliatum, et nonnunquam minutum quod ad molem : interdum colore cinereo pallido : at saepissime, sanum et naturale detegitur.

Vesica fellis, tunicis densatis et bile plurima viridi vel fusca, spissitudinis piceae plena, reperitur : aliquando inanis detegitur : in uno exemplo, eam continere uncias quatuor bilis viridis, spissitudinis gelatinae, reperi : ductus biliarii liberi et pervii semper a me detecti sunt.

Cor plerumque sanum observavi :

Intestina et omenta nonnunquam inflammata, aliquando gangraenosa, saepe naturalia, inveniuntur.

Vesica nihil insigne, nisi in quantitate urinae in ea detectae, quae, retentione progressa, raro paucas uncias excedit, exhibet.

Nulla signa morbida in pancreate, liene, vel renibus, nisi quod plus sanguinis solito aliquando continere, inventa sunt.

Haec signa in casibus variis, etiam post eadem symptomata, tam diversa sunt, ut inter conditionem ventriculi quam ullum aliud viscus, et morbum per totum ejus decursum,

multo majorem nexum intercedere, mihi persuasum est, quia hoc organum plerumque vitiatum, et fere eodem modo, detegitur.

Ventriculus plus minusve inflammatus, saepissime deprehenditur. Tantum unum exemplum inter plurima, ventriculi post mortem secti, in quo non ita se habuit, reperi; quamvis in hoc casu, fluidum nigrum in ventriculo copiosum inventum est. Haec species inflammata, ex leni rubore maculato in parvis pustulis viso, ad statum, in quo, tota superficies interna punctis rubris interstincta est, tunicae densantur, et quaedam tunicae internae partes sphacelo corripuntur, variat. Saepissime autem, in conspectum veniunt pustulae plurimae, generis erythematici, quae non elevantur vel spissantur, et circa cardiam praecipuè confertae sunt. Tunica externa ventriculi, in nonnullis exemplis rubra et leniter inflammata visa est: hic, inflammatio diffusa, aliter, in superficie interna apparuit. Pars inferior oesophagi, et initium duodeni, pustulis quasi a ventriculo tendentibus, saepe obducuntur. Ventriculus copia fluidi fusci vel nigri, deorsum in duodenum manantis, frequentissime impleri, detegitur.

Hoc fluidum, quod ad colorem, plurimum dif-
fert, in nonnullis cinereum profundum est.

DE CAUSIS.

De causa proxima febris generatim, nihil compertum habeo. In hac febre igitur, bilem morbide secretam, simul cum statu ventriculi morbo, adesse, tantum dicam. Vomitus biliosus, nausea, molestia et dolor circa praecordia, quae, morbo ineunte, et provec-
tione, fere semper urgent; vomitionis gravio-
ris redivit, vomitus nigrae materiae, flavedo,
singultus, dejectiones atrae, multum levami-
nis ex purgantibus ad initium adhibitis, et
prae aliis, species morbida post mortem, hanc
opinionem verisimillimam reddunt. Uter ho-
rum affectuum morbidorum primarius sit, an
simul eveniunt, pro certo dicere nequeo.*

* Dr Saunders, in opusculo suo de Hepate, de specie morbida cholerae loquitur; in qua, fluidum nigrum copiose evomitur, et quam, dolor et anxietas circa praecordia, spasmus, ingens sitis, pulsus celerrimus et exilis cum intermissione, et singultus comitantur.

An fluidum nigrum, ex modo quo bilis vitiata ventriculum ipsum, vel ejus contenta afficiat, derivetur, vel an hoc morbide ex ventriculo ipso secernatur, vel a sanguine effuso ex his punctis rubris in superficie inflammata repertis, vix statuere possum. Hoc oriri ex felle vitiato ventriculum jam morbidum afficiente, verisimile mihi videtur.

Causas praedisponentes haud differre ab iis quae febribus generatim proclivitatem dant, crederem, atque igitur de quibus non est opus plura dicere.

De causa excitante, opiniones diversissimae inter auctores et medicos valuerunt. Miasma paludum, contagium, mutationes aëris generales et locales, aër rebus animalibus et vegetabilibus, tardè putrescentibus, vel effluviis humanis confertis vitiatus, pro causa excitante, singula, ab auctoribus diversis, existere habita sunt. De harum singulis, limites mihi impositi fuse dicere non sinunt, pauca de his igitur, tantum proferam.

Eidem auctori videtur, vomitum, inflammationem ventriculi, pylori, et partis superioris duodeni, bilem in ventriculum impellendo, pollere.

Miasmata paludum non causam extitisse febris Gadibus et Gibraltariae occurrentis, patet: Primò, quia nullae paludes prope hos locos sitae sunt; et secundò, quia incolae oppidorum paludibus circumdatorum, et etiam paludum ipsarum, aequae ac advenae ibi appulsi, a morbo penitus fuerunt immunes.

Quamvis in perpauca exemplis quae anno 1813, evenerunt, contagium adfuisse mihi persuadebatur, et hanc febrem in quibusdam casibus peculiaribus, vi contagiosa pollere concedo; tamen, hoc saepe accidere, multo minus causam generalem existere, rationes sequentes me credere vetant.

Sententia febrem nempe ex Africa, India Occidentali, vel America illatam fuisse, minime certa existit; historias quibus nititur, auctores gravissimi vehementer, et saepe, veras esse negarunt; res ipsa nequaquam verisimilis est, et in plurimis accessionibus Epidemicae, ut anno 1814, nulla hujus rei documenta existunt; morbus tempore semper aggreditur peculiari, annis in quibus evenit, et utcunque plurimi nondum affecti fuissent, alio evanescit; morbus ab illis ex oppido quo saevit abeuntibus, ad incolas illorum locorum

ad quos migraverant, quamvis ipsi saepe aegrotarunt, et nonnulli in his locis morti abierunt, non propagatus est; milites ex Gadibus emissi ad Islam de Leon, anno 1813, et illi ex Gibraltaria, anno 1814, ut in Isthmo castra ponerent, intra paucas dies convalescerunt, et illi qui ex Isthmo et Isla de Leon in oppida advenerunt, eodem spatio temporis aegrotarunt, quamvis tempore quo hae mutationes evenerunt, illi maxime aegroti, et hi sanissimi extiterunt, et commercium inter milites adeo distantes, et oppida introcedit, et inter situm movendum, morbus incolas locorum rusticorum ad quos sedem moverunt, nunquam aggressus est.

Morbus, ut antea dixi, anno 1811, in uno loco invaluit, et non ultra hunc, quamvis commercium minimè impeditum extitit, grassatus est; plurima exempla indesinenter curantium aegros, omnibus formis et stadiis morbi laborantes, quamvis proclivitatem habentium, non semel ab eo affectorum, observata sunt.

Arejula, celeberrimus medicus Hispanicus, suo libro de hac febre, morbum ad mutationes in conditione generali aëris, non accuratè tri-

buendum esse, plenissime illustravit; saltem tempora quibus prodiit, quod ad calorem, vim electricam, pressuram, siccitatem, vel humiditatem aëris, conditionem ventorum, vel quantitatem pluviarum, ex tempestatibus prorsus salutiferis non diversa esse, et revera per tempestates, in quibus, coelum fervidum et siccum cum Euro, imbribus levibus accedentibus, ortui ejus maximè faverunt, rarissime invasit. Talis fuit tempesta, anni 1812, incolae Gadium ferè duplices extiterunt, (et hoc ob situm arctum et confertum urbis, ipsum malum gravissimum fuit,) inopia, annoe caritate, et qualitate prava frumentorum, et multis aliis molestiis ab obsidione, et rebus publicis regionis, orientibus quoque vexati sunt. Tamen omnibus his ortui morbi adeo faventibus, hic non aggressus est.

Plurimis rebus concurrentibus ad morbum inducendum opus esse, credo; et, Primò, statu peculiari aëris. Quae sit natura hujus conditionis, difficile est dictu, non ex ulla ex dotibus aëris vulgo vel doctis percipiendis pendere videtur: Secundò, calore diuturno aestatis (in illis coelis, ex gradu octogesimo secundo ad octogesimum octavum, valente,)

febrem praegrediente, quae, ut supra dixi, nunquam ante autumnum ineuntem aggreditur: Tertiò, effluviis humanis accumulatis, domibus confertis et male perflatis pauperum, quae ob has causas temperiei magnopere auctae, necessario subjiciuntur: Quartò, solutione (tarda putredine,) materiae animalis et vegetabilis, in his domibus accumulatae, aequae ac in viculis, plateisque vicinis, et quae, ob cloacas et graves imbres deficientes, non tolluntur. Conditionem domuum incolarum pauperiorum in oppidis Hispanicis, omnibus his incommodis insigniter patere, notum est; in Gibraltaria vero, praesertim ante insignes cultus, ab excellentissimo Duce Georgio Don, Praefecto, perfectos, non potest fieri ut aliquis, cui conditio pauperum incolarum patet, quam noxia essent facile concipiat. Hanc febrem in illis habitationibus incipere, et ibi aliquamdiu existere, priusquam ad locos majoribus commodis fruentes propagatur, inter omnes constat.

Plerasque harum causarum, illis annis, in quibus nullus Epidemicus prodiit, pariter adfuisse, conceditur, et hinc, statum peculia-

rem aëris, ut supra dictum, ad febrem inducendam necessarium, existimo.

DE DIAGNOSI.

Morbi, qui, verisimile, pro Febre Flava habeantur, vel cum ea confundantur, sunt, Primò, Febris Synochus, quae in his regionibus saepe aggreditur: Secundò, Febris Inflammatoria, cui saepe accedit inflammatio vel congestio in quibusdam ex organis praecipuis corporis: Tertiò, Febris Remittens Biliosa: Quartò, Typhus: Quintò, Pestis.

Ex prima, casus leves ad initium occurrentes, vix possunt dignosci; sed, cum symptomata typhoidea Intervallum sequuntur, vel, cum Febris Flava fit Epidemica, diagnosis cito et plenissime instituitur; quamvis in plurimis casibus, in quibus, modus aggressionis primus, et etiam secundus adsint, symptomata et cursus haud aliter ac in Synocho eveniunt.

Morbus secundus, ex mense Maii ad Julium, et saepe serius, plerumque invadit, cum Epidemicus non prodit. Symptomata maxime

inflammatoria, plerumque comitantur; saepissime aliquod viscus insigne, ut cerebrum, pulmones, cor, vel intestina, sed prae omnibus hepar afficitur. In hoc exemplo solo, pro Febre Flava habeatur. In hac febre tamen, signa inflammatoria maxime manifesta sunt, et maturissime invadunt; bilis evidenter impeditur; Icterus et signa Hepatitidis acutissimae adsunt; cutis cito colorem splendidum et flavum, ex subfusco et pallido supradicto, magnopere diversum induit; color cum symptomatibus inflammatoriis simul apparet; dum in Febre Flava, illis typi typhoidi conjungitur; urina, ac in Ictero, est colore profundo, et lintea reddit flava, quod in febre flava non accidit. Praeterea, in quibusdam casibus mortiferis, a me observatis, hepar ampliatur et inflammatur, bilis ductus impediti, membrana adiposa et pinguedo per totum corpus, flavedine lucida tinctae repertae fuerunt, et etiam membranae, viscera et musculi hoc colore affecta sunt, et copia faecum tenacium, colorem unguenti hydrargyri referentium, adfuit. Haec signa minime illa in febre flava observata, referre, vix opus est dicere.

Ex febre remittente Biliosa, Diagnosis, me judice, manifesta est : Primò, quia nulla remissio febris flavae unquam accidit, nam *Intervalum* prorsus ex hac diversum est, et stadium inflammatorium a Typhoideo tantum discernere inservit, et fortasse pro stadio secundo vel medio, melius habeatur : Secundò, Febris flava vix unquam recidiva est, quod in Remittente Biliosa prorsus aliter accidit : Tertiò, Haec saepe diu perstat, et frequenter nullos limites definitos agnoscit ; febris flava contra, spatium accuratum, idemque haud raro brevissimum constat : Quartò, Febris flava nunquam suam formam continentem pro remittente aut intermittente permutat ; et Quintò, Sequelae tam saepe febribus remittentibus, ut Hydropes et viscerum obstructions, accedentes, post febrem flavam nunquam visae sunt.

Remittens Biliosa, Gadibus et Gibraltariae haud raro grassatur, ut inter copias Britannicas Seville et Carthagenae, anno 1812, sed nunquam, quantum scio, sub formâ Epidemicâ, saevit.

Plurima symptomata in Typho quoque observata, sub finem Febris flavae prodeunt ; sed

Intervallum, flavedo, ventriculi irritabilitas insignis, materiae nigrae vomitus, urinae suppressio, et species ventriculi, cadavere secto, in casibus mortiferis visa, in Typho non observantur, et huic sanguinis profluvia et singultus, vix unquam aggrediuntur. Typhum, petechiae, vibices, subsultus tendinum, et floccitatio saepe comitantur; rarissime autem, (floccitatio nunquam,) in febre flava visa. Exempla Typhi, multo diutius quam longissima in febre flava, perstant; et denique, Typhus forma Epidemica in illis regionibus non saevit, raro etiam ulla forma ibi videtur.*

Pestem, ratione simili tertio modo supra dicto, sed cum gravi vertigine, et capite vehementer turbato, aggredi fertur, et cum non in mortem desinit intra horas duodecim, vel viginti quatuor, (quod raro, si unquam fit in febre flava,) bubones glandularum lymphaticarum colli, axillae, vel lumborum, comitantur.

* Hieme anni 1810-11, occasio videndi Typhum graviores latissime per legionem Germanicam, nuper Gadiibus adventum, saevientem, mihi evenit, et ibi minime contagiosam esse observavi.

DE PROGNOSE.

Plura eorum quae de hac proferri potuissent, antea dicta complectuntur.

Nunquam mihi medicinam facienti, sanatio post vomitum materiae nigrae, quamvis nonnulla rara exempla hujus aliis evenerunt, visa est. Singultus, delirium maturum, convulsiones, urinae suppressio, metus vel ingens anxietas, vox deficiens vel valde mutata, pulsus subito cessans, pustulae nigrae circa os, vultus lividus, dejectiones foetidissimae, nigrae, vel invitae, surditas, aspectus vitreus vel cadaverosus oculorum, vel sanguinis profluvia, finem versus morbi, singula sunt infautissima, sed pluribus conjunctis, nulla spes sanationis restat.*

Quaedam ex his symptomatibus, in nonnullis casibus valde subito aggressa sunt, aegrumque sustulerunt; et in nonnullis aliis,

* Unum aegrum anno 1813 vidi, cui fuerunt vomitus perpetuus cum singultu alternans, per plurimos dies, simul, urinae suppressio, fluxus sanguinis ex ore et ex urethra, convulsiones et stupor, qui nihilominus sanatus fuit.

mors subita, nullis eorum existentibus, invasit.

Signa fausta in stadiis proVectis sunt, symptomata generatim levata, eruptio levis herpetica circa os, eam referens quae circa crisin aliarum febrium et Pneumoniae, conspicitur: pulsus tardus, abnormis et intermittens; et certissime, os hydrargyro affectum, modo hoc remedium adhibitum fuerat, nihil dubii de aegri sanatione relinquit: saepe duratio morbi sola spem praebuit, quia illi, ultra diem nonum perstanti, sanatio plerumque accessit, quod potius viribus constitutionis integrae et sanae, quam remediis nostris,tribuendum esse, puto.

DE PROPHYLAXI.

Morbum praecavendi migratione ex loco ubi sese prodidit, certissime patet ratio; haec tamen penes paucos est, et ob leges *quarantine* dictas, non concedenda est.

Quia morbus indole contagiosa praeditus adhuc creditur, istis legibus hactenus opus esse, habetur.

Domus libera perflatio, mundities, sordes

sedulo sublatae, aegrorum cita translatio, et frequentia evitata, quam plurimis ex urbe eductis, ut in campo aperto per aestatem insiderent, et impetum cavendo, morbumque susceptum levando, magnopere prodesse, existimentur.

Magnum commodum anno 1814, ex iis, qui antea laboraverant, muneribus necessariis in oppido fungentibus, aequae ac aegros curantibus, perspectum fuit.

Illos, quibus non est facultas summovendi, omnes causas, et excitantes, et praedisponentes, quam maxime fieri potest, et imprimis intemperantiam, quod omnibus facile est, evitare, cavere oportet.

Nihil scio, quod morbum penitus cavendi, vi praeditum sit; ex dictis, hydrargyrum non sic pollere, patet.

DE RATIONE MEDENDI.

De hac, summa dissensio est inter medicos: alios, ut Rush, Mosely, Lind, Pinckard et M'Lean, qui medicinam fecerant in Indiis Oc-

cidentalibus et America, missionem sanguinis copiosam et repetitam, laudantibus; dum alii, ut Wright, Chisholm, Clarke, Currie et multi alii, hoc remedium prorsus reprobant; et nonnulli horum, praecipue Wright et Chisholm, viribus hydrargyri prorsus confidunt: Quidam recentiores, ut Bancroft et Burnett, qui hunc morbum in Europa non viderunt, ut apparet, et opiniones quorum, ratione et similitudine igitur solis nituntur, sanguinis missionem laudant. Hi auctores duo, morbum pro Febre Remittente Biliosa habentes, gravissime falluntur.

Scriptores qui morbum in Hispania curarunt, ut Arejula, Flores Moreno, et translator anonymus operis a Rush edito, inter Hispanos, et Fellowes atque Pym nostrates, hanc reprobant. Omnibus his viris claris, quibus, honor et commodum fuit mihi esse noto, aequae ac plurimis gravissimis medicis Gadibus et Gibraltariae, missionem sanguinis tantum abesse quin prodesset in sanando morbum in Hispania, ut semper noceat, symptomata typhoidea semper accelerando et augendo, admonitus sum. Hoc accidere in nonnullis ca-

sibus anno 1813, hoc remedio rebus faustissimis existentibus, exhibito, patuit.—Igitur a sanguinis missione abstinui.

Affusiones frigidas et tepidas, subinde prodesse reperi, quamvis effectus leves et fugaces extiterunt, et nihil commodi frequentissime ediderunt.

Emetica, quae febribus communibus ineuntibus magnopere profuerunt, quia illam irritabilitatem ventriculi tam frequentem, et adeo lethalem in hoc morbo, excitarunt, exhibere non possumus. Ob eandem causam, praeparationes antimonii, tam saepe utiles repertas utpote solventes cutem, omittere necesse fuit, quia doses harum minutissimae, nauseam et vomitum haud raro excitarunt.

Alia Diaphoretica, praeter haustus effervescentes, ex subcarbonate sodae cum citri medicae succo, subinde propinatos, non aegris exhibui.

Cinchona, opium, stimulantia, cardiaca et vinum, hac febre ineunte sumpta, magnopere et manifeste nocuerunt: haec remedia tamen, utilia et etiam prorsus necessaria per stadia ultima, signis typhoideis jam supervenientibus, existunt.

Cum ea maxime indicationibus inservire videntur, quae materiam morbidam tollunt ex ventriculo et intestinis, et prohibent ne postea gignatur, actioni morbidae hepatis et ventriculi obstando, et, si fieri potest, actionem saniozem inducendo; catharticum ex submuriate hydrargyri cum Extracto Colocynthidis composito constans, adeo ut alvum plenissime solveret, ad initium exhibui. Hoc remedium, utpote effectus suos cito, plene et certissime, sine torminibus vel nausea edens, aliis praetuli. Hydrargyrum in systema, ut hoc pleno et cito afficeretur, tum oportuit injicere. Ad hoc consilium efficiendum, submuriatam, ratione unius grani singulis horis exhibitum, utilissimum reperi. Hoc modo, metallum proxime ad partes morbosas admotum, et universum corpus, et partes quibus applicatum fuit afficiendo, prodesse, mihi visum est.

Dum hoc remedio utimur, alvus ope laxantium et enematum, modice fusa servanda est, diarrhoeae praesenti absorbentibus, vel portiunculis opii cum submuriate hydrargyri commistis, occurrendum. Nausea, haustu salino effervescente praecavetur. Corpus lavatur, et haustus diluentes refrigerantes libere

conceduntur. Aliis symptomatibus, hic, et in omnibus stadiis orientibus, remediis idoneis oportet obstare.

Hoc consilium medendi, donec os hydrargyro affectum fuerit, institutum est. Quamprimum, gingivae, lingua, vel partes internae genarum levissime affectae sunt, ptyalismus, vel odor hydrargyri observatus, aeger ex febre prorsus solutus fuit; quod si mature factum fuerat, aeger brevi ad solita munera redire valuit. Hoc, nisi symptomata infausta aliquamdiu perstiterint, aliquando non accidit, et hic, boni ejus effectus, adhuc insigniores existunt. Rebus sic se habentibus, cardiacis et stimulantibus, et postea vino, Cinchona, et lauta diaeta, ad vires restituendas, opus est.

Ad hunc effectum inducendum, omnes nostri conatus saepe infeliciter impares sunt. Rebus sic existentibus, morbus cum tota symptomatum cohorte infausta, progreditur; et hic, omnia cardiaca et stimulantia nihil valere, saepissime visa sunt; quamvis non semel tantum, sanatio praeter spem accessit.

Ad vomitum summovendum, praeter haustum effervescentem, fomenta, sinapi et epispastica ad regionem ventriculi admovi; et sae-

pe eventu felicissimo, granum unum opii solidi, forma pilulae, tertia vel quarta quaque hora exhibui. Contra singultum, opium cum aethere sulphurico conjunctum, etiam sinapis cataplasmata pedibus admovi; ad dolorem capitis summovendum, ei prius abraso, applicationes frigidas et epispastica applicanda, curavi. Ut urinae suppressionem tollerem, enemata, fomenta et diuretica, ut Spiritum Aetheris nitrosi, &c. Digitalem purpuream, et etiam oleum volatile Terebinthinae in quibusdam casibus, exhibui. Omnia haec symptomata, praesertim ultimum, plerumque fuerunt pertinacissima; quidem finem versus morbi, tantum torporis adfuit, ut etiam stimulantia fortiora, copiosissime sumpta, nihil omnino profuerunt.

In omnibus stadiis, sed imprimis proVectioribus, summa cura est adhibenda, ne aeger ex nisu quovis nimio, injuriam susciperet. Potus, cibus et medicamenta, parcissime, atque idoneis intervallis, ei sunt porrigenda, quia haec, utcunque modice sumpta, ad vomitum inducendum proclivia sunt. Si hoc indicium, semper metuendum, nunc accedit, mortem procul dubio, infert.

Per totum morbi decursum, quiete, ventilatione libera, cui vis inest aërem refrigerandi pariter ac renovandi, absentia nimiae lucis, et potu refrigerante et diluente, opus est; et omnia quae aegri metum, cui valde addictus est, excitarent vel augerent, ab adstantibus sedulo sunt cavenda.

FINIS.

Excudebat C. STEWART.